

cant pœnitentiam, quam non relaxent, cum utique veriam negando incentivum auferant pœnitentia. Nemo non poterit bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. Quodsi enim apud DEum indulgentiam sperare posse lapsos senserint Novatiani, quomodo dicere potuit Ambrosius: lapsos bene agere pœnitentiam non posse? Cum multo præstantior utique sit indulgentia & remissio peccatorum apud DEum, quam ea, quæ ab Ecclesia obtinetur, ut multa, quæ Pontificii, thesibus suis inservientes, admiscuerunt, sicco pede hac vice transeamus. Unde & *Bellarminus* prioris sententiæ immemor esse videtur lib. 2. de Pœnit. c. 15. Doctores Ecclesiæ hinc Conversionem aut pœnitentiam ita distinguunt, ut aliam esse dicant Conversionem aut pœnitentiam infidelium, quam & primam nominant eā de causâ, quod alia nulla in subjecto isto eam præcesserit; aliam vero conversionem aut pœnitentiam lapsorum, aut Relapsorum, quam & secundam appellant, quoniam in eodem subjecto alia prior conversio antecesserit. Quodsi ex hactenus dictis definitionem conversionis concinnare volupe cuipiam fuerit, facere id poterit præeunte *D. Scherzero System. Theol. Loc. XI. p. 289.* ad hunc modum. *Conversio est motus hominis peccatoris ex viribus, a DEo acceptis de peccatis ex lege agnitis serio dolentis & meritum Christi verâ fide Evangelio accensa apprehendentis, remissionis peccatorum ac salutis eterna consequende causâ.* Aut Rudrauffio in Summa Theologiqæ Theticæ pag. 266. Thes. III. *Conversio est actio Dei gratiæ, quâ homo adultus & infidelis ex infideli redditur fidelis, è statu peccati & iræ transfertur, ad statum fidei & gratiæ, ut acta pœnitentia consequatur remissionem peccatorum & salutem eternam;* Conf. definitionem Joh. Fried. Königii Posit. p. 199. §. 514. ubi etiam conversio à Pœnitentia probe distinguitur, diciturque *conversio passiva, quæ est motus seu Actus hominis peccatoris de peccatis dolentis, & satisfactionem Christi vera fide apprehendentis.*

S. D. G.

Coll. diss. A. 208, misc. 7